

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

fructum tanto uberiores habiturum, quanto est acerbius ab Antagonistis responsum, & quia aliud jam parare se, modestum & breve per literas mihi significavit: quae de re etiam vir prudentiss. pientissimusque, Heintzelius Col. Augustanus, ad me scripsit his diebus: Bullingerum ajunt, dixisse, nihil de hac controversia scripturum amplius, sive quod ex senectate & valerudine langueat, sive quod tædiis contentions lassatus. Nec desinit etiamnum de Concordia spem optimam fovere, D. Jacobus, quam si ratam fecerit, sicut boni omnes optant, Dominus, me vivo, gestiens lætitia dicam: Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Ac ut inter tot cerebrosa ingenia, vix obtineri sana, pacifica, & concors professio posse videatur, novimus tamen, apud DEUM, nihil esse impossibile, qui piorum omnium ardentibus assiduisque votis interpellandus est, ut det nobis, unum esse inter nos, sicut est ipse unum cum patre. De Colmariensis Ecclesiæ statu, omnia tibi indubie constant. Spero Christum daturum in eam messem idoneos operarios, qui pure doceant, & vitæ fulgeant intacto exemplo, fructumque faciant uberem. De Sclerstadiensibus autem, & ipsos meditari reformationem, quæ obtineri non ita magno negotio posset, si qui illi præest Reinhardus Lucius, veritatem, quam intelligit, aperte profiteri vellet. Is meo judicio à vestro presbyterio utiliter admoneretur, qui si tam esset nobis vicinus, quam est vobis, eò profecto excurrerem, sed non est forte mea admonitione opus. Vestra sponte egregie cum hac in parte, tum aliis vigilantibus. Bene vale in Christo Jesu, vir reverende & chariss. frater. Scripsi Basil. 20. Junii, Anno 75.

d. l.

*totus & ex animo frater.*

Heckelius suæ ad vos profectiois causas ipse exponet, quem tibi commendo anxietatem, ut donis eximiiis pollentem, Tui observantiss. & mihi charissimum. I. Erasmum, amorem, symmistas, saluta amanter & reverenter.

Fuglinus noster graviter, nec sine periculo vitæ laborat, quem tuus, & symmistarum precibus commendo. Salutat te Coccius & Gryn.

CLXXXIX.

*Salutem in Domino.*

**E**T si, Reverende in Christo pater, Dn. Doctor Clarissime, nihil seriptione dignum haberem, tamen negligendam nequaquam putavi occasionem tam commodam, saltem R. tuæ salutem ut scriberem. Visurus celeberrimam vestram Scholam & urbem, tum amicum etiam, ac ni fallor, consanguineum, M. Joannes Fabricius, Ecclesiæ Leobergenensis in hoc Ducatu pastor, & ejus

& ejus Præfecturæ Superintendens, Vir pius & doctus, mihi que amicissimus, qui meus aliquandiu Stutgardiaæ Collega fuit, per fratrem suum, D. Secretarium Laurentium, optimum & piissimum virum, Ministrorum Ecclesiæ apud nos patronum & Patrem, petiit, ut una alterave linea tantum ad R. tuam illi aditum facerem. Cupitenim R. tuam, ut veteranum, pium & sincerum Theologum, ex eorum munero, qui D.D. Lutherum, sanctæ memoriæ, audiverunt, videre. Quare R. tuæ optimum Virum commendo, & rogo, ut per suos domesticos curare non gravetur, si quæ videre in tam celebri urbe velit, quæ omnino admiratione digna sunt, ea in re ut ipsi velint esse adjumento. Apud nos, DEI beneficio, quotidie aliquid præparatur ad futuras nuptias Illustrissimi nostri Principis; quæ ut Ecclesiæ & Reipublicæ fæliciter cedant, non dubito, quin etiam Argentinenfes orent. Scio enim, vobis Illustrissimi nostri Principis & hujus Ducatus incolumitatem cordi esse. Bene & feliciter valeat tua R. & ex me, Reverendum & optimum virum D. Flinnerum saluret, unâ cum cæteris Collegis. Officiose R. tuam salutat D. M. Balthasarus, Præpositus noster, Datæ raptim, 21. Junii, Anno salutis 1575. Stutgardiaæ.

*Tua R. studiosiss.*

Lucas Oslander, D.

CXC.

*Salutem in Christo. Reverende & clarissime vir, amice  
in Christo charissime.*

**D.** D. Henricus Efferen, cui inspectio & cura Ecclesiarum Mompelgardensium commendata aliquot annos fuit, jam certis de causis, bona tamen Principum gratia, revocatur.

Ei succedit, qui tibi has offert literas, Dominus M. Johannes Pistorius, vir doctus, pius, gravis, modestus, & qui apud nos ecclesiis cum fructu servivit, & in oppido Gröninga prope Aspergum Superattendentem egit. Graviter rulit illius discessum ecclesia, cui præfuit, & nos inviti ipsum dimisimus. Sed status Ecclesiarum Mompelgardensium talem virum postulavit, & necessitas nobis quasi extorsit & eripuit. Decrevit is cum familia per diem apud vos subsistere, & familiaritatem vobiscum atque amicitiam contrahere. Quamvis autem mihi abunde constet, de vestra facilitate, humanitate, atque egregia voluntate, erga omnes eruditos & pios viros, imprimis eos, qui à nobis proficiuntur; tamen amico meo optimo, apud amicum me-

Uuu

um cha-